

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110**

Logica s. ars cogitandi - Ettenheim-Münste 101 - Philosophia eclecticica

**Cartier, Gallus**

**[S.l.], [18. Jahrh.]**

Caput 2dum

[urn:nbn:de:bsz:31-110938](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-110938)

116. alio propellatur, facile ostendi potest, cum non rem claram dicitur, sed obscurissimam, imò falsissimam negare, qui ignem hoc sensu calidum, vel lapides graves esse negaverit. Enimverò equidem clarum est, ignem caloris sensum nobis inferre actione illa, quâ in corpus nostrum agit, sed nullo modo clarum est esse aliquid in igne simile illi, quod ad ignem accedentes sentimus. Eodem modo clarum est lapides, quamprimum à loco sublimi emittuntur, descendere versus terram, sed clarum non est, illos ex se ipsis, nulloque alio protrudente deorsum ferri.

117.

### Caput 2<sup>um</sup> Dum

#### De Enuntiatione p.

Sicuti idea nominibus, ita iudicia verbis tanquam signis exprimentur: hæcque verba enuntiationes seu propositiones iudicii interpretes continent. Quatuor autem circa enuntiationem nobis explicanda veniunt. 1<sup>o</sup> Quæ sit enuntiationis seu propositionis natura. 2<sup>o</sup> Quæ sint illius proprietates. 3<sup>o</sup> Quæ species. 4<sup>o</sup> Denique agendum de Definitione ac Divisione, quæ præcipue sunt enuntiationis species. Quæ omnia singulis §. his exequimur.

§. 1<sup>us</sup> m. s.

118.

#### De naturâ Enuntiationis seu Propositionis.

Enuntiatio seu Propositio est Oratio ab hominibus instituta ad ex-

primendum iudicium, In qua Defini<sup>117</sup>.  
tione Oratio est genus; cetera locum diffe-  
rentia obtinent. Oratio quippe est qua-  
libet vocabulorum seu dictionum compo-  
sitio ad significandam quamdam ani-  
mi cogitationem aut cogitationis mo-  
dum instituta. In cogitatione enim  
distingui possunt tum ipsa cogitatio,  
tum cogitationis modus. Cogitatio est  
vel perceptio vel iudicium: utriusque  
objectum sunt res vel rerum modi seu  
attributa. Nam perceptio et iudicium  
circa res duntaxat et rerum modos oc-  
currantur cum hoc discrimine, quod  
mens percipiendo cognoscat tantum ob-  
jecta, iudicando autem unum de altero  
affirmat vel negat. Hinc perceptio  
nominibus, iudicium, vero verbis expri-  
mitur. Modus cogitationis est qua-  
libet mentis affectio, qua cogitationem,  
perceptionem scilicet et iudicium co-  
mitatur: quales sunt admiratio,  
irrisio, excitatio, et aliae affectiones,  
quae tum variis verborum inflexioni-  
bus, tum conjunctionibus et interjec-  
tionibus exprimuntur. Unde alia est  
oratio admirativa et truncata, ut  
Deus bone! alia imperativa, ut Sta  
Sol. alia optativa, ut Salvus sis p.  
Brevisima autem orationis spe-  
cies est enuntiatio seu propositio,  
quae ab hominibus instituta est ad signi-  
ficandum iudicium.

Cum autem iudicium in compo-

118. Sitione seu conjunctione, vel divisione  
idearum, id est, in affirmatione aut  
negatione unius ideae de altera consistat,  
Enuntiatio seu Propositio, quae illius inter-  
pres est, Duo semper complectitur nomi-  
na, quorum unum de altero affirmatur  
aut negatur. Suntque illius Subjectum  
et attributum seu predicatum, quae illi-  
us materia seu termini vocantur.

119. Unde Terminus seu materia pro-  
positionis definitur id, ex quo proposi-  
tio constat, et in quod resolvitur tan-  
quam in Subjectum vel attributum seu  
predicatum. Subjectum proposi-  
tionis est terminus de quo alius affirma-  
tur aut negatur. Attributum est  
terminus, qui de alio affirmatur vel ne-  
gatur: e.g. in ista propositione, Terra  
est rotunda, nomen Terra est Subjec-  
tum; rotunda est attributum; et  
ambo simul vocantur termini seu  
extrema propositionis, quoniam ex  
utraque parte propositionem termi-  
nant.

120. Verbum vero Substantivum.  
Sum, es, est, dicitur utriusque copula  
seu vinculum, ut qui eos connectat,  
et sine quo nudum foret iudicium.  
Etenim solum Verbum est dictio ab  
hominibus instituta ad exprimendum  
iudicium, sive sit verbum substan-  
tivum, sive adjectivum.

Verbum Substantivum dicitur  
Verbum Sum, es, est, quatenus solum  
iudicium sive solam connectionem attri-

buti cum Subjecto, non vero actualem  
rei existentiam, significat; ac vocatur Co-  
pula Subjecti et attributi; ut cum dicitur,  
Virgilius est Poëta, sensus non est, Vir-  
gilius existere et esse Poëtam, sed  
tantum attributum istud Poëta Virgilio  
convenire.

Verbum adjectivum est idem, quod  
propter iudicium, seu propter connexio-  
nem attributi cum Subjecto, significat  
personam, numerum, tempus, actum  
vel modum, vel aliquid aliud, quod no-  
mine aliquo exprimi possit. v.g. cum  
dico, Scribo; non tantum significo ju-  
dicium meum, sed insuper meam per-  
sonam, numerum singularem, tempus  
presens, et quamdam exercitationem,  
quâ characteres in chartâ delineo.

Omnia igitur verba, excepto ver-  
bo Sum, es, est, quatenus solum iudici-  
um significat; sunt adjectiva: imò ip-  
sum verbum Sum, es, est, quatenus ac-  
tualem existentiam exprimit, dici po-  
test adjectivum: nam cum dico, Sum,  
idem est, ac si dicerem Ego sum existens.  
Hinc necesse non est, ut in omni pro-  
positione Subjectum, attributum,  
et copula Sum, es, est, semper expri-  
mantur, sed satis est, si verbo conten-  
ta intelligantur; ut patet in abata  
superius propositione Scribo.

Observandum etiam, attribu-  
tum propositionis affirmantis identi-  
ficari, ut ajunt, cum Subjecto; sive  
fieri quid idem ac Subjectum: ut cum  
dicitur, Socrates est homo, est Phi-

120. Philosophus, p. Sensus est, Socratem esse hunc  
hominem, hunc Philosophum, p. Non  
tamen idivisio omnis propositio affirmans  
dici debet identica, sed ea tantum, in qua  
attributum est quid idem ac subjectum, quam-  
vis in illius idea præisè non contineatur.  
e.g. cum dicitur, Misericordia Dei est  
ejus justitia, sit propositio identica,  
quia misericordia Dei est quid idem  
ac ejus justitia, cum utraque sit ipse  
Deus: idea tamen justitia in idea mi-  
sericordia præisè non continetur.  
Sed cum dicitur, circulus est figura,  
idea attributi in idea subjecti clara  
et distinctè comprehenditur, unde  
identificatur quidem attributum cum  
subjecto; sed tamen propositio non  
est identica.

Nominatur insuper propositio  
identica et negatoria ea, in qua idem  
de se ipso affirmatur eodem nomine,  
ut cum dicitur, ens est ens, homo est  
homo, p.

### §. 2. Idivisio

122.

De proprietatibus Enuntiationis  
seu Propositionis.

Proprietates Enuntiationis vo-  
cantur attributa quædam secundaria,  
quæ ipfi conveniunt, et in ipsius essen-  
tia, seu primario essentia attributi  
promanent: eaque dupliis generis  
vulgo distinguuntur, Simplices vi-  
micium et complexa.

123.

Simplices sunt ea, quæ uni soli  
propositioni seorsim spectata conve-  
niunt, suntque ipsius quantitas et qua-

litas. Complexa sunt, quae non possunt nisi  
nisi pluribus simul sumptis competere, sunt  
que oppositio, aequipollentia, et conversio.

Quantitas propositionis est ipsius uni-  
versalitas, particularitas, et singularitas,  
quae ex propositionis subiecto semper re-  
petitur.

Universalis propositio est ea, cuius  
subiectum universaliter sumitur, hoc est,  
secundum totam suam extensionem; quod  
fit, cum ei praefigitur una ex his particu-  
laribus, omnis, vel Nullus, ut omnis homo est  
mortalis, Nulla res creata est infinita.

Particularis propositio est ea, cuius  
subiectum est particulare, seu limitatum  
his particulis, Aliquis, Quidam, et simili-  
bus, ut Aliquis homo est dives; Quidam  
homo non est sanus.

Singularis propositio est ea, cuius  
subiectum est singulare, hoc est, ad  
unum tantum et determinatum indivi-  
duum pertinet; ut cum dicitur, Cicero  
est Oratorum Princeps.

His accedit propositio indefinita,  
quae nempe subiectum habet universale  
sed nulla universalitatis, particularita-  
tis, aut singularitatis nota affectum;  
qualis est ista, Homo natus est ad labo-  
rem. non enim dicitur aut omnis,  
aut aliquis homo, aut hic homo; sed  
indefinitè dicitur Homo.

Circa singulares et indefinitas pro-  
positiones litigant inter se vulgares lo-  
gici, cum scilicet ad universales, an vero  
particulares revocari debeant.

Qui singularem ad universalem  
revocant, hoc nituntur fundamento,

63  
50

122. quod scilicet illius Subjectum sumatur se-  
cundum totam suam extensionem, quod  
de ratione Universalis propositionis esse  
diagnoscitur, prout à nobis dictum est; cum  
non possit Latine accipi quam pro uno. At  
qui ad particularem eam revocant, hæc  
dicuntur ratione, quia majorem affi-  
nitatem habet cum particulari, quæ,  
quemadmodum singularis, de uno est;  
quam cum universali, quæ de pluribus  
dicitur.

Verum non est, quod huic ques-  
tioni diutius immoremur, ut quæ ad  
rem parum faciat; sive potius nobis suffi-  
ciat, quo nomine nuncietur propositio  
singularis, nihil adeoque nobis curandum,  
sive ad universalem, sive ad particularem  
sit referenda; quin potius nobis videtur,  
eam ab aliis duabus specialiter distingui;  
ab universali quidem, quod hæc de plu-  
ribus nullo excepto enuntietur; à par-  
ticulari vero, quod ista de aliquo dum-  
taxat indeterminatè pronuntietur; at  
singularis de uno dumtaxat et quidem  
determinatè dicatur, prout jam exposuimus.

125. Quod indefinitam spectat, qui-  
dam loquii contendunt, eam in materia  
necessaria, id est, cum attributum ne-  
cessario convenit Subjecto, esse univer-  
sale; in materia vero contingenti par-  
ticularem. Alii vero asserunt, eam  
etiam in materia contingenti debere  
dici universalem saltem moraliter, ni-  
si cum de narratione facti alicujus  
agitur. Quod sic probant.

Si propositio indefinita in ma-  
teria contingenti non esset universalis,

tunc vera essent v.g. istae propositiones: 123.

homines sunt nigri, Urosi sunt albi, Boloni sunt Sociniani, Angli sunt tremuli Enthusiastae: nam aliqui homines sunt nigri, scilicet in Aethiopia\*; aliqui urosi sunt albi, ut in novâ Zembla\*\*; aliqui Boloni Sociniani\*\*\*; et quidam Angli tremuli\*\*. Atqui tamen istae propositiones ab omnibus vulgò pro falsis habentur, quamvis sint in materia contingenti, seu quamvis earum attributum contingenter tantum subjecto conveniat. Ergo propositiones indefinita etiam in materia contingenti sunt universales.

Diximus 1<sup>o</sup>. Saltem moraliter. Enimvero propositioni indefinita in materia contingenti sufficit universalitas moralis, qua quamvis exceptionem aliquam patiatur, pro more tamen et consuetudine hominum ut talis ab omnibus admitti debet. Nam in moralibus requiritur tantum, quod res ut plurimum ita se habeant, sicut enuntiantur: unde istae propositiones pro veris habentur, juvenes sunt inconstantes; mulieres sunt garrulae; senes sunt queruli: quia juvenes ut plurimum sunt inconstantes; mulieres garrulae; senes queruli.

Diximus 2<sup>o</sup>. nisi cum de natura facti alius agit. Tunc enim propositio indefinita particularis esse perhibetur; quod exemplis

\* Aethiopia alias Abissinia Africae regio late patens, cuius Rex communiter Imperatorum dicitur, ab Africanis vero Magnus Negus; antiquitus vero à vulgò Presbyter Joannes vocabatur. Huius imperii incolae Christianam Religionem profitentur, quamvis non omnino puram sed in aliquibus articulis à doctrina Apostolica recedentem. Nullae in eo regno sunt notae cujusdam civitates, sed non nisi pagi. Imperator nullibi sedem fixam aut legiam habet, sed per campos vagans modo huc modo ibi tentorium suum figit.

\*\* Nova Zembla, Regio Septentrionalis, quam fretum Waigatum seu Napovicum in mari glaciali à Monovia Septentrionali separat. Detecta fuit à Bataris an. 1594. Humum frigus in ea dominatur, et à 4. novemb. usque ad initium februarii Sol idius Horizontem non percurrit.

\*\*\* Sociniani à Lelio Socino Senis in Haetruvia natò an. 1525. He dicti haetii: inter alia Christum verum Deum esse, ac pro no-

51 124. illustrari potest: sic quando Matth. 27. De  
 nobis satisfecisse militibus dicitur: Et plerumque coronam  
 negant, p. sed de De spinis, posuerunt super caput ejus,  
 his in Theologia, nempe Christi; clarum est, id non de  
 Trait. de Deo plura. omnibus, sed de quibusdam tantum mi-  
 Tremuli scilicet En- litibus referri, et consequenter intelli-  
 thusiasticorum in gi debere.  
 Angliā circa an. 1649. 126. Qualitas propositionis est affir-  
 exorta auctore geor. matis vel negatio; veritas vel falsi-  
 gio' Foxio Lutore quo- tas.  
 Jam. Tremuli diti  
 sunt, quod in suis En-  
 thusiasticis, qui fre-  
 quentes erant, insoli-  
 te et postea modum  
 totis artibus treme-  
 rent.

Propositio affirmans est ea, que  
 de alio enuntiat; negans, que  
 unum ab alio removet.

Ex quantitate autem propositionum  
 una cum affirmatione vel negatione,  
 seu ipsius qualitate, quadruplex nasci-  
 tur propositionum genus: scilicet Uni-  
versalis affirmans, que exprimitur per  
 litteram A; universalis negans, que  
 exprimitur per litteram E; partiula-  
ris affirmans, quam denotat littera I;  
 et partiularis negans, quam littera  
O exhibet, juxta sequentes versus:

A perit A negat E; verum generaliter am-  
 bo.  
 A perit I negat O; sed particulariter  
 ambo.

- A, Omnis homo est justus.
- E, Nudus homo est justus.
- I, Aliquis homo est justus.
- O, Aliquis homo non est justus.

Atque hinc oritur propositionum  
 oppositio, que prima est inter proposi-  
 tiones complexas.

127.

Oppositio igitur propositionum

est earum pugna vel secundum quanti- 125.  
tatem solam, vel secundum qualitatem  
solam, vel secundum utramque simul  
modo idem subiectum habeant et attri-  
butum.

Quae pugnant secundum quantita-  
tem solam dicuntur Subalternae, ut  
A et I, vel E et O. Quae secundum  
qualitatem solam opponuntur, si sint  
ambae universales, dicuntur Contrariae,  
ut A et E. Si sint particulares, dicuntur  
Subcontrariae, ut I et O. Denique  
quae pugnant secundum quantitatem  
et qualitatem dicuntur contradictoriae,  
ut A et O, vel E et I.

Contradictoriae etiam dicuntur  
propositiones singulares illae, quarum  
una negat, quod altera affirmat: v. g.  
Aristoteles est Philosophorum Princeps;  
Aristoteles non est Philosophorum Prin-  
ceps. Contradictio enim, ut vulgo de-  
finiunt, est affirmatio et negatio ejus-  
dem de eodem secundum eadem omnia.

Atqui potentia propositionum  
est reductio oppositarum propositio-  
num ad eundem sensum, ope parti-  
culae Non, quae proponitur subiecto  
contradictoriae, postponitur subie-  
cto contrariae, praet et postponitur  
subiecto subalternae, secundum hunc  
versiculum:

Pro contradict: post contra: pra postque  
Subaltern.

Itaque A, sive Omnis homo est  
justus, reductur ad sensum contra-

126. Dicitur O, sive Aliquis homo non est justus; si preponatur particula Non illius Subjecto hoc modo: Non omnis homo est justus; Si enim non omnis homo est justus, certè aliquis homo non est justus.

Simili modo E, sive, Nullus homo est justus reduitur ad A, sive Omnis homo est justus, postponendo particulam Non ipsius Subjecto sic: Nullus homo non est justus, id est, Omnis homo est justus.

Pariter A reduitur ad I. Si Subjecto ejus pre et postponatur particula Non; e.g. Non omnis homo non est justus idem est ac Aliquis homo est justus. Idem dicendum de E et O.

128. Conversio propositionum est mutatio Subjecti in predicatum seu attributum, et attributi in Subjectum remanente semper propositionis veritate, sed mutata nonnunquam illius extensione. Hinc duplex est propositionis conversio, una Simplex altera per accidens.

Conversio Simplex est ea, in qua remanet eadem propositionis quantitas seu extensio, ut accidit, quando propositio est vel universalis negans, vel particularis affirmans, ut E et I.

E. Nulla materia est res cogitans: Nul-<sup>127.</sup>  
la res cogitans est materia.

J. Aliquis homo est justus: Aliquis jus-  
tus est homo.

Conversio per accidens est ea, in  
quâ non remanet eadem propositio-  
nis quantitas, ut fit, cum propositio est  
A, sive universalis affirmans: quam-  
vis hæc conversio etiam propositioni  
E, sive universali neganti convenire  
possit.

A. Omnis homo est animal: Aliquod  
animal est homo.

Discrimen verò illud, quod inter-  
cedit inter conversionem propositio-  
nis universalis affirmantis, et conver-  
sionem propositionis universalis ne-  
gantis ex eo petitur, quòd attribu-  
tum propositionis universalis affirman-  
tis particulariter tantum sumatur;  
attributum verò universalis negantis  
secundum totam suam extensionem  
negetur, adeoque sumatur universali-  
ter: v.g. cum dicitur, Omnis homo est  
animal, sensus non est, omnem ho-  
minem esse omne animal, sed ali-  
quod animal: unde in propositionem  
particularem tantum converti potest  
sicut aliquod animal est homo. Sed  
cum dicitur, Nullus homo est lapis, re-  
cte dici potest, Nullus homo est ullus  
lapis; unde etiam reciprocè converti  
potest, Nullus lapis est homo.

Tertia Conversionis species,  
quæ admodum impropria est, dicitur

8  
52

128. per contrapositionem: cum nempe termi-  
ni ex finitis fiunt infiniti, sive potius  
indefiniti, scilicet per adjectionem par-  
ticulae Non. Hae conversionis species con-  
venit propositioni particulari neganti,  
vel etiam universali affirmanti.

O. Aliquis homo non est justus: Aliquis  
non justus non est non homo.

Adducta haec conversionis  
propositionum leges hoc disticho com-  
prehenduntur:

E I simpliciter convertitur E A per accid.  
A O per contrap: sic fit conversio tota.

129. Ultima et proxima propositio-  
num proprietates sunt ipsarum veritas  
et falsitas. Vera autem dicitur pro-  
positio, qua dicit quidpiam esse, quod  
est; aut negat esse, quod non est; fal-  
sa vero est, qua dicit aliquid esse, quod  
non est; vel negat esse, quod est.

Ut autem veritas vel falsitas  
propositionis accuratè percipiatur,  
investigandus est illius sensus, qui par-  
tim ex terminorum Suppositione, ut  
loqui solent Scholae, seu acceptioe;  
partim ex eorum conexione desu-  
mitur. Aliquando enim terminus  
supponit seu auipitur materialiter,  
id est, pro se ipso: nam Supponere in  
significatione neutro-passiva, barbaro  
Scholarum stylo, hic idem est, ac poni  
seu auipi: ut cum dicitur, Deus est  
vocabulum dissyllabum, vox Deus sup-  
ponit materialiter, id est, pro se ipsa

accipitur seu usurpatur. Sapius ta<sup>129.</sup>  
men termini sumuntur formaliter, nem-  
pe pro formâ animo conceptâ, seu pro  
rebus significatis et mente perceptis. Id-  
que multis modis evenit.

1.° enim propositio aliqua intelli- 130.  
gi potest litterali, ut vocant, et obvio  
sensu; quem nempe verba sive pro-  
priè, sive metaphoricè seu per trans-  
lationem usurpata pro se ferunt; pro-  
priè quidem, ut cum dixit Christus, Ego \* Joann. 10. v. 30.  
et Pater unus sumus: metaphoricè  
verò, ut cum dixit idem Salvator noster, \* ibid. c. 15. v. 5.  
Ego sum vitis, vos palmites.

2.° in-  
tedigi potest sensu mystico et spiritua-  
li, præsertim in Scripturis sacris: ut cum  
Deuter. c. 25. v. 4. dicitur, Non ligabis  
os bovis terentis in arca fanges tuas.  
Sensus litteralis et obvius is est, quem  
verba ipsa exprimunt: Sensus verò mysti-  
cus sive spiritualis est ille, qui à Spiri-  
tu sancto ulterius et præcipue intendi-  
tur, et quo significat Pastoribus et Sanc-  
ti Evangelii præconibus necessarium  
victum esse præbendum, prout intepre-  
tatur S. Paulus, 1. Cor. 9. v. 9. Huius sen-  
sus spiritualis maxime spectandus venit  
in sacris Scripturis, præsertim Veteris Tes-  
tamenti: nam propriè et primariò  
sub typis et figuris à Spiritu sancto no-  
bis ingeritur. Est autem vel allegori-  
cus, vel Tropologicus, vel Anagogicus.  
Primus spectat Christum et Ecclesiam  
hæc in terris militantem: Secundus mo-  
res: tertius coelestem patriam; sive pri-  
mus est de rebus credendis; secundus de  
agentibus; tertius de sperandis. Verum

PZ  
53

130. De his sensibus, fusius agemus in Theologia nostra, sicut ubi de S. Scriptura nobis sermo erit.

Sensus litteralis proprius, et naturalis Subtilius adhuc dividitur in eum, qui vocatur realis aut identicus; et in eum, qui specialiori ac strictiori ratione et modo formalis appellatur. e.g. Haec propositio, justitia Dei est ejus misericordia vera est in sensu reali et identico; quia re vera justitia Dei est quid idem ac ipsius misericordia, nempe est Deus ipse. Sed vera non est in sensu formali praesice et strictè accepto. Etenim justitia praesice et formaliter, sive secundum suum conceptum praesicium et ab omni aliâ formâ seu conceptu separatum spectata: vel ut alii loquuntur, justitia ut sic, sive ut est talis; sive justitia reduplicative sumpta, nempe reduplicata et repetita voce justitia per particulam quatenus, hoc modo: justitia quatenus justitia; sive justitia quatenus poenas infligit; sic enim accipitur justitia divina, cum poenas infligit: / justitia, inquam, sub hac ratione considerata, non est misericordia etiam praesice, formaliter, et reduplicative accepta, nempe quatenus parit. Alius enim est conceptus Dei punientis, alius Dei misericordis, et parentis.

Propositio etiam aliquando vera est in sensu composito, et falsa in sensu Diviso, aut vice versa. v.g. Haec propositiones: qui loquitur non potest non loqui; qui amat non potest odire; sunt vera in sensu composito; quia non potest simul componi

actus loquentis cum negatione locutionis; vel<sup>131.</sup>  
actus amoris cum actu opposito odii; vel de-  
minum una hypothesis cum alia hypothesis pro-  
prie contraria. Sed falsa sunt in sensu di-  
visivo, quo nempe dividitur negatio actus  
ab actu; vel unus actus ab actu opposito;  
aut hypothesis ab alia hypothesis contraria.  
Nam qui loquitur, etiam dum loquitur re-  
tinet potentiam non loquendi: Qui odit,  
etiam dum odit, amandi potentiam con-  
servat. Unde actus aliquis stare potest cum  
potentiâ ad aliquid oppositum: nempe  
vel ad sui negationem, vel ad actum con-  
trarium, licet simul cum sui negatione,  
vel cum actu contrario poni nequeat.

Hinc pertinet Distractio termino-  
rum, per quam nimirum referuntur  
termini ad aliud tempus, quam quod per  
verbum importatur: e.g. in hac Christi  
propositione, Matth. 11. v. 5. Cœci vident;  
Subiectum cœci distrahitur à tempore  
prædenti ad præteritum: nam hic est sen-  
sus hujus propositionis: qui modo cœci erant,  
nunc vident.

Propositio quoque potest esse vera  
in sensu collectivo, et falsa in sensu dis-  
tributivo, aut vicissim. v.g. Quod dicit  
Horatius epist. 2. lib. 1. Nos numerus sumus,  
id verum est in sensu duntaxat collecti-  
vo; id est, nos omnes simul et collectivè  
sumpti, non verò linguli seorsim et dis-  
tributivè accepti, sumus numerus seu tur-  
ba. È contrariò, quod ait Dido apud  
Virgilium lib. 4. Aneid. Omnibus umbra  
lovis adeo, intelligi debet in sensu distri-  
butivo, scilicet lingulis lovis seorsim et  
distributivè, in quibus futurus esset

132 Aeneas, quem hic Boëta de se loquentem in-  
dicit; non verò de omnibus locis simul et  
collectivè spectatis: nam umbra omnibus  
locis simul adesse non potest.

2  
54

Cum terminus in propositione sumi-  
tur universaliter seu distributive, necesse  
est aliquando ad veritatem propositionis, ut  
secundum distributionem commodam, sive rei,  
de qua sermo fit, accommodatam, et conveni-  
entem accipiatur: non verò secundum distributio-  
nem integram et perfectam, quæ omnem limi-  
tationem aut restrictionem excludat. Hujus  
rei exemplum offert S. Augustinus his ver-  
bis: De aliquo litterarum magistro, qui in  
civitate solus est, dicimus, omnes iste hic  
litteras docet, non quia omnes discunt, sed  
quia nemo, nisi ab illo discit, quicumque  
ibi litteras discit. Similiter cum omnia  
per Verbum facta dicuntur, intelligenda  
sunt omnia, quæ facta sunt, non ipsum  
Verbum, quod factum non est, ut expli-  
cat idem S. Augustinus, Tract. in Joan. n. ii.

\* lib. de grad. et. 55.  
n. 14. alias c. 8.

Item quandoque necesse est, ut  
terminus communis intelligatur tantum  
de generibus singulorum, non verò de  
singulis generum: ut quando Christus ad  
Phariseos ait: Decimatis mentham et  
rutam et omne olus. Non enim Phari-  
sæi singula omnis generis olerum indi-  
vidua decimabant, sed ex omni olerum  
genere decimas persolvebant. Hæc  
et alia hujusmodi observanda sunt à  
Logicis, ut de propositionum veritate  
et falsitate ferant iudicium.

De terminorum connexionem, in qua  
etiam propositionum veritas aut falsitas  
pendet, agemus paragrapho sequenti.

Invari adhuc solet hic à Logicis, an <sup>133.</sup>  
omnis plane propositio sit vera vel falsa:  
item, an inter duas propositiones sin-  
gulares sibi invicem contradicentes de  
futuro contingenti, quales sunt istae: Pe-  
trus was disputabit, Petrus was non dis-  
putabit, una sit definite seu deter-  
minate vera altera falsa. Pro quibus  
duabus questionibus solvendis sint se-  
quentes due Conclusiones.

Conclusio Prima. <sup>131.</sup>

Omnis propositio logica, scilicet,  
qua iudicium aliquod exprimit, vera  
est aut falsa.

Prob. Omnis propositio logica  
vel consentanea est objecto, quod signi-  
fiat, et cogitationi, cuius est interpres,  
vel utriusque est dissentanea. Atqui  
si objecto et cogitationi est consentanea,  
vera esse dignoscitur, si vero dissentanea  
est, tum falsa est. Ergo omnis propo-  
sitis logica vera est aut falsa.

Conclusio Secunda <sup>132.</sup>

Propositionum de futuro contin-  
genti et singulari sibi invicem contra-  
dicentium una in se definite seu de-  
termine vera est, altera falsa.

Prob. 1<sup>o</sup> Illa propositio est vera,  
qua congruit cum suo objecto seu re signi-  
ficata. Sed ex his propositionibus una  
congruit cum suo objecto seu re signifi-  
cata, quae scilicet significat, id futu-  
rum, quod re vera futurum est. Ergo.  
Hinc etiam Christus et Propheta multa  
prædixerunt, eaque definite: atque ha

134. predictiones idcirco vere erant, et determinatae, quia res futuras significabant, et plane cum iis conveniebant.

Prob. 2.<sup>o</sup> Propositio de re praeterita idcirco vera est, quia quondam in praesenti tempore vera fuit. Ergo etiam propositio de futuro jam est definite vera, si aliquando res sit futura: non enim minus verum fuit determinate, cum Christus praedixit Iudae, fore, ut ab eo traderetur, quam nunc verum est, Christum à Iudae traditum fuisse: nam veritas propositionis praeterita aut futura ex praesentis veritate pendet; tametsi rei futurae veritas aut falsitas nobis sit incognita. Sed Deus ipse novit, quid futurum sit, cum oculis ipsius omnia nuda sint et aperta.

Confirmatur. Verum est, me nunc scribere. Ergo heri verum erat, me hodie scripturum: nam, ut diximus, veritas rei praeterita aut futura ex praesentis pendet.

133. Solvantur Objectiones.

Ob. 1.<sup>o</sup> contra 1.<sup>am</sup> Conclusionem.

Propositiones practicae, quae scilicet id efficiunt, quod significant, cuiusmodi sunt Sacramentales, nec vere nec falsa sunt. Ergo, p. Prob. ant. Primo, non sunt vere, quia nullum, antequam proferantur, habent obiectum: Secundo, non sunt falsa, quia obiectum suum operantur. Ergo, p.

Resp. ad 1. neg. 1.<sup>um</sup> membrum ant.

ad 2. neg. pariter 1.<sup>um</sup> membrum ant.

Propositiones practicae sunt vere, quia non prius sunt propositiones propriae dictae,

3  
548

quàm cum sunt prolata: nec prius ulti-<sup>135.</sup>  
ma earum syllaba prolata est, quàm ve-  
ritatem suam consequuntur, et cum re  
significatâ congruunt.

Ob. 2<sup>o</sup>. Propositiones, quæ dicuntur - 134.  
tur insolubiles, nec veræ sunt nec falsæ:  
nam sunt ejusmodi, ut ex earum veri-  
tate falsitas consequatur, et vice versa:  
unde vocantur propositiones se ipsas fal-  
sificantes: sic si repente dicam, mentior,  
cum antea loquutus hæc fuerim: si vera  
est ista propositio, tunc simul est falsa,  
non enim mentior, cum verum dicam:  
si falsa est, tunc simul est vera, nam  
verum est me mentiri.

Resp. Hanc vel similes propo-  
sitiones aut aliquid significare, tumque  
sunt veræ vel falsæ, tametsi nemo de-  
finire possit, num veræ sint an falsæ:  
aut si nihil significant, ut probabilis  
nobis videtur, cum nullum præsuppo-  
nant objectum, non sunt propositiones  
Logicæ, quæ scilicet sint aliquarum re-  
rum signa, sed Grammaticæ dumtaxat,  
quæ syllabis et dictionibus constant,  
sed nullum propriè iudicium exprimunt.  
Enimverò quis potest esse sensus hujus  
propositionis, mentior, nisi prius ali-  
qua verba protulerim? Idem de aliquot  
aliis, quas vulgò circumferunt, non ma-  
gno certè momenti propositionibus  
similibus, sentiendum.

Ob. 3<sup>o</sup>. Contra conclusionem 2<sup>am</sup> Jam 135.  
auctoritas Aristotelis lib. De interpret.  
c. 9. dicentis, duarum propositionum

136. Singularium sibi contradicentium de futuro contingenti neutram esse definitè veram, neutram falsam. Ergo. p.

Resp. 1<sup>o</sup>. Hic curandus non est Aristoteles, ut qui Ethnicus fuit, et præterea in multis aliis hallucinatus fuisse perhibetur; quidni et hic erraverit? Verum utrunque excusari potest, si dicatur; neutram ex his propositionibus esse determinatè veram, neutram falsam comparatè ad nos nostramque cognitionem, quia definire non possumus, utra vera sit, utra falsa, conc. neutra determinatè vera est aut falsa, quoad se ipsam et in se ipsa, seu ratione objecti futuri vel non futuri, neg. ant.

136. Ob. 4<sup>o</sup>. Propositio determinatè vera habet objectum determinatum. Atqui futurum contingens non est determinatum, cum sit contingens et eventus ancipitis. Ergo. p.

Resp. Dist. maj. Objectum propositionis determinatè vera est determinatum, si sit propositio de re præsentis aut præteritæ; conc. Si sit de re futura, neg. maj. et conc. min. neg. cons. Ad veritatem propositionum de futuro minime requiritur, ut objectum sit determinatum, sed satis est, illud esse determinandum, aut determinatè futurum. Est autem determinatè futurum tum in se, nempe si re verè extitutum est, tum in sua causa licet nunc indifferenti, si ad id se determinatura sit.

Respond. alii, Dist. min. futu-<sup>137.</sup>  
rum contingens non est determinatum  
in actu exercitō et pro tempore presenti,  
con. In actu signatō, et pro tempore  
futuro, neg. min. et cons. Nam quam-  
vis voluntas Petri sit causa libera et  
proinde nunc indifferens ad disputandum  
vel non disputandum, ipsa tamen die  
crastinā alterutrum est electura;  
ac videt Deus, quam in partem se sit  
inflexura.

Inst. iō Si objectum propositio-  
nis de futuro contingenti est certō ac  
determinate futurum, planē necessa-  
riō est futurum, non contingenter.  
Sed hoc est absurdum. Ergo, p.

Resp. neg. maj. Aliud enim est  
aliquid certō ac determinatē esse fu-  
turum, aliud necessariō esse futurum.  
Idud necessariō futurum dicitur, quōd  
ita futurum est, ut non possit non  
esse futurum. Idud autem certō ac  
determinate futurum est, quōd re-  
verā quidem futurum est, sed tamen  
potest non esse futurum: e.g. Nunc  
scribo, et heri certō ac determinatē  
quis pronuntiare poterat, me hodie-  
nā die esse scripturum: non tamen  
necessariō nunc scribo; nam potui  
antequam scriberem, abstinere à  
scribendo, et nunc dum scribo, pene  
me retinere potestatem non scribendi.  
Dicitur, quod certō ac determinatē fu-  
turum est, non semper necessariō est  
futurum.

42

36

Inst. 2.<sup>o</sup> futurum contingens non potest certò et determinatè esse futurum, nisi vi libertatis, quæ est indifferens. Atqui res fieri non potest determinatè et certò futura, si illius quòd est indeterminatum et indifferens. Ergò, p.

Resp. trans. maj. Dist. min. Res fieri non potest determinatè et certò futura si illius, quòd est indeterminatum et indifferens passivà, ut ajunt, indifferentià, cone. si illius, quòd activè est indifferens, et se ipsum determinat, neg. min. et conseq. Libertas seu voluntas, quamvis sit indifferens et indeterminata respectu actionum suarum, ita ut eas liberè ponere possit aut omittere, tamen se ipsam ad eas vel alterutram determinare potest, consequenter ipsius indifferentia est activa, si cujus certò quamvis non necessariò, se ad id vel aliud agendum vel omittendum determinatura est, idque jam antequam ipsa operetur, in se determinatè verum est, p.

Diximus trans. maj. Nam ea tantè negari potest vel ex eo, quòd, cum libertas seu voluntas duo contraria simul ponere vel agere hanc possit, ita antecedenter ad illius futuram determinationem, jam verum sit, eam se certò ad unam ex duabus, quæ proponi possunt, rebus contrariis aut contradictoriis determinaturam. Cetera quæ huc adhuc objici possunt, Theologis

Solvenda sunt, ut quae ex Scientiâ Dei  
repetantur; quae adversarios nostros  
remittimus. 139.

S. 3<sup>tius</sup> 137.  
De Variis Propositionum  
Speciebus.

Præter divisionem propositionum  
ratione quantitatis et qualitatis, dantur  
adhuc aliae earum divisiones materiam  
et formam ipsarum spectantes, quas  
presenti paragrapho expendimus.

Propositio igitur ratione mate-  
ria, seu terminorum, alia est simplex,  
alia complexa, et composita alia.

Propositio simplex ea dicitur,  
quae ex simplicibus seu incomplexis ter-  
minis constat, ut, Deus est perfectus.

Complexa est ea, cujus alteruter vel 138.  
uterque terminorum est complexus,  
seu plures ideas complectitur: ut cum  
dicitur, Homo, qui Deum diligit, le-  
gem implet: Subjectum istius propo-  
sitionis, nempe Homo, qui Deum dili-  
git, est complexum, et includit in  
se aliam propositionem, quae vocatur  
invidens, scilicet Qui Deum diligit, cu-  
jus propositionis Subjectum est nomen  
relativum Qui. Dicitur autem invi-  
dens, quia in aliam invidit propositio-  
nem, quae vocatur primaria seu prin-  
cipalis, scilicet homo, qui Deum diligit,  
legem implet. Aliquando etiam solum  
attributum est complexum, aliquando  
uterque terminus est complexus.

52  
57